



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. I. Quis sit idoneus minister Baptismi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

DISPUTATIO II.

De Ministro Baptismi.

Ad questionem 67. Divi Thomae.

Non agimus hic de institutore Baptismi (constat enim ex dictis art. 1. dispensationis precedentis, solum Christum esse ejus institutorem) sed solum de ipsius ministro, de quo S. Thomas quaest. 67. & quia susceptor seu patrinus, ad causam ministerialem Baptismi reducitur, eod quod aliquod ministerium in solemnibus Baptismo exhibeat, aliquid etiam de illo dicendum erit.

Quis sit idoneus minister Baptismi?

Duplex distingui solet Baptismi minister, unus solemnitatis, alter necessitatis, unde ut clarè pateat, quoniam sit idoneus minister Baptismi, breviter hic declarandum est, quoniam possint ministrare Baptismum cum solemnitate, quoniam vero in casu necessitatis sine solemnitate illum conferre possint?

Dico ergo primo, ad solum Sacerdotem, non vero ad Diaconum, pertinere cum solemnitate & ex officio Baptismum ministrare. Ita definitur in Florentino in decreto Eugenii, ubi sic dicitur: *Minister huius Sacramenti ordinarius est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* Idem docet Clemens libro 3. Constit. cap. 11. & libro 8. cap. 52. dicens: *Nec Diacono fas est offerre sacrificium, vel baptizare.* Idem constat ex Gelasio Papa, cujus verba refert S. Thomas hic art. 1. in argum. sed contra.

Ratio etiam id suadet: Ad illos enim pertinet baptizare ex officio, ad quos pertinet admittere fideles in Christianam rempublicam. Sed id pertinet solum ad Sacerdotes, non vero ad Diaconos: Ergo ad solos Sacerdotes, non vero ad Diaconos pertinet cum solemnitate & ex officio baptizare. Major patet: Baptismus enim est janua Ecclesiae, & per illum homines fiunt Christianae Reipublicae cives. Minor vero suadet. Admittere in aliquam rempublicam ex officio convenit illis qui in rempublicam habent iudicam potestatem: Sed soli Sacerdotes illam habent in republica Christiana, non vero Diaconi: Ergo &c. Minor probatur: Potestas in corpus Christi mysticum, dimanat ex potestate in corpus ejus naturale: Sed soli Sacerdotes, non vero Diaconi, habent potestatem in corpus Christi naturale: Ergo & in ejus corpus mysticum, quod est respublica Christiana. Eadem ratione probant Theologi in Tractatu de Penitentia, ad solum Sacerdotem pertinere absolvere à peccatis.

Adverte tamen, quod licet stando in jure divino, omnes Sacerdotes possint baptizare ex officio, & cum solemnitate, iustis tamen de causis, Ecclesia statuit officium illud à solis Parochis exerceri debere, ut constat ex capite *Interdicimus* 16. quaest. 1. unde peccaret mortaliter qui non habens curam animarum, vellet hoc Sacramentum cum solemnitate conferre, non reperitur tamen aliqua poena contra eum in jure taxata.

Tom. V.

Adverte etiam cum D. Thoma hic art. 1. quod licet Diaconus non sit minister ordinarius Sacramenti Baptismi, ad ipsum tamen pertinet ex vi propriae ordinationis, ministrare Sacerdoti vel Episcopo baptizanti. Ita statuitur in decreto dist. 25. cap. *Perfectus*, ubi dicitur, *Ad Diaconum pertinere assistere & ministrare Sacerdotibus in omnibus quae aguntur in Sacramentis; Baptismo scilicet, & Chrismate, in Patena, & Calice.*

Adde, Diaconum posse cum solemnitate baptizare, ex speciali commissione Sacerdotis, vel Episcopi. unde differentia inter Diaconum & Sacerdotem est, quod Sacerdos vi suae ordinationis est ordinarius huius Sacramenti Minister, Diaconus vero accipit potestatem de jure ordinario inserviendi baptizantibus, & ex speciali Sacerdotis vel Episcopi commissione, baptismum solemniter conferendi. Tum quia id expresse asserit Glossa super Canonem *Diaconus* dist. 25. Tum etiam, quia in Pontificali Romano in ordinatione Diaconi dicitur, Diaconum debere baptizare & praedicare: unde sicut ex vi suae ordinationis accipit facultatem praedicandi solemniter ex commissione Episcopi, ita etiam & baptizandi. Non potest tamen commissio ei dari, nisi ob magnam necessitatem, aut Ecclesiae utilitatem: puta si non essent Sacerdotes qui possent solemniter baptizare; quae necessitas, aut Ecclesiae utilitas, vix potest nunc reperiri, ob multitudinem Sacerdotum.

C Si queras, an Diaconus incurreret aliquam poenam, si sine praedicta commissione solemniter baptizaret? Respondeo in capite primo de Clerico non ordinato, poenam irregularitatis statui contra omnes qui cum non sint ordinati (id est sacerdotio initiati) baptizant solemniter, intellige seclusa commissione, quae dari potest Diacono.

Dico secundo: Ministrum necessitatis Sacramenti Baptismi esse quemcumque, sive ordinatus sit, sive non, baptizatus aut non baptizatus, vir, sive mulier, dummodo sit capax abluendi, cum intentione faciendi quod Christus instituit, aut vera facit Ecclesia.

D Conclusio est certa de fide, definita in Florentino in decreto Eugenii, ubi sic habetur: *In casu necessitatis, non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imò etiam paganus, & hereticus, baptizare possunt.* Unde in Capite *A quodam Iudeo*, de consecrat. dist. 4. definitur verum esse Baptismum, datum à Iudeo, sub debita forma, & Tridentinum sess. 7. cap. 4. definit Baptismum Haeticorum esse simpliciter validum.

E Ratio à priori nostrae conclusionis nulla alia assignari potest, praeter Christi institutionem, & beneplacitum, sed optima congruentia datur in capite *Constat* de consecratione dist. 4. nimirum maxima necessitas Sacramenti Baptismi, cum nisi per illum, circa martyrium, saluti parvulorum subveniri possit, neque etiam perfecte adultis, qui licet per proprios actus possint iustificari, non tamen recipere characterem, & jus ad bona Ecclesiae. Quam ob causam voluit Christus, ut quisque licite possit subvenire proximo, in necessitate Baptismi constituto. Unde D. Thomas hic art. 5. ait quod *sicut ex parte materiae, quantum ad necessitatem Sacramenti, sufficit quacunque vera & naturalis aqua,*

R iij

na

ita etiam sufficit ex parte ministri quicumque homo.

9. Dices, D. Augustinum libro 2. contra Epistolam Parmeniani, noluisse determinare an Baptismus a non baptizato collatus sit validus, & Gregorium II. scribentem Bonifacio, dicere baptizatos a paganis quibusdam esse rebaptizandos. Ergo Baptismus a non baptizato vel pagano collatus, non est validus.

Ad Augustinum respondeo cum D. Thoma hic art. 5. quod quamvis ille hoc reliquerit loco citato indecisum, fuit tamen ab Ecclesia determinatum, precipue Canone A quodam Iudeo, supra citato, imò ab ipsomet D. Augustino aliis in locis, & in ipsomet libro citato, ubi sic de Baptismo loquitur: *Est nulla necessitate usurpetur, & a quolibet cuiuslibet detur, non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicitum datum.* Ad Gregorium verò dicendum, ipsum loqui de paganis, qui non baptizaverant in nomine Trinitatis, qui proinde verum Baptisma non contulerant.

10. Quamvis autem quilibet possit validè tantumquam minister necessitatis baptizare, hic tamen ordo servari debet, ut mulier non baptizet in præsencia viri, nisi ipse vir nollet baptizare, nec laicus in præsencia Clerici, nec hic in præsencia Sacerdotis: Sacerdos tamen potest baptizare in præsencia Episcopi, quia baptizare pertinet ad officium Sacerdotis. Unde Catechismus Pii V. de Baptismo sic ait: *Neque verò hoc munus ita omnibus promiscuè permissum esse fideles arbitrentur, quin ordinem aliquem ministrorum statuere maxime debeat: mulier enim, si mares adsint, laicus item, præsente Clerico, tum Clericus coram Sacerdote, Baptismi administrationem sibi sumere non debent, quanquam obstrictes quæ baptizant, consueverunt, improbanda non sint, si interdum præsente aliquo viro, qui huius Sacramenti conficiendi minimè peritus sit, quod alias viri magis proprium videretur, ipsæ exequantur.*

11. Sed quæres primò, an peccet mortaliter scemina, in præsencia viri, vel vir laicus, in præsencia Clerici, aut Clericus in minoribus, in præsencia Subdiaconi, in periculo mortis baptizans?

Respondeo negativè contra Vazquem disp. 147 cap. 5. in hoc enim quod scemina præsenteretur viro, & laicus Clerico, & Clericus in minoribus Subdiacono, licet aliqua indecentia reperiatur, est tamen levis, & ideo solum venialis.

12. Quæres secundò, an peccet mortaliter non Diaconus, qui in necessitate, in præsencia Diaconi baptizat?

Respondeo affirmativè, quia Diaconus potest ex commissione conficere Baptismum cum solemnitate, quod multum accedit ad ministrum ex officio, & idcirco videtur res gravis, quod in præsencia illius conficiatur ab alio. Idem à fortiori dicendum est de Diacono baptizante in præsencia Sacerdotis, non tamen de Sacerdote baptizante in præsencia Episcopi, quia (ut supra ostendimus) hoc inter Diaconum & Sacerdotem discrimen reperitur, quod Diaconus ex vi suæ ordinationis non est minister Baptismi ex officio, sed solum ex commissione: At verò Sacerdos ex vi suæ consecrationis, cum habeat potestatem ordinis ad cōsecrandum Christi corpus, habet etiam facultatem ad baptizandum cum solemnitate, & ad absolvendum à peccatis: po-

A testas enim in corpus Christi mysticum, & testate in corpus ejus naturale dimanare, ut dicebamus.

Dices, Hi solum rectè & jure admittuntur veluti principes illius: Sed soli Episcopi in Ecclesia principatum tenent, ut dicit Glossa ordinaria ex Beda super caput 10. Luca: Ergo soli Episcopi possunt de jure admittuntur ad officio baptizare, atque ita si simpli Sacerdos in præsencia Episcopi baptizet, peccat mortaliter.

Respondeo cum D. Thoma hic art. 2. ad 2. quod in qualibet republica, ea quæ sunt minora pertinent ad minora officia, majora vero majoribus reservantur, secundum illud Exodi 18. *Quid manus fuerit, referant ad te, & ipsi tamen modo minora iudicent;* & ideo ad minores gradus Principes pertinet disponere de infima populi, ad summos autem Principes pertinet disponere quæ pertinent ad majores civitatem. Per hunc gradum in populo Christiano, & ideo baptizare pertinet ad minores Principes Ecclesie, id est ad Presbyteros, qui tenent locum secundum Discipulorum Christi, ut dicit Glossa in Beda Luca 10. ad illa verba, *Designavit septuaginta duos.*

ARTICULUS II.

An idem possit à seipso baptizari, vel per res ab uno, aut unus à pluribus?

Dico primò, neminem posse seipsum baptizare. Ita D. Thomas quæst. prædictæ art. 5. ad 4. ubi ait quod mutatur forma Baptismi, si diceretur, *Ego baptizo me;* & tunc nullus potest baptizare seipsum, propter eandem Christi à Joanne voluit baptizari, ut dicitur eundem de Baptismo & eius effectu. Unde ibidem Innocentius III. consultus de Judo quodam qui seipsum baptizaverat, respondit esse rebaptizandum. Nec obest quod addit, *talem nihil minus salvandum fuisse, si tunc obisset:* intelligit enim non vi Baptismi fluminis, sed fluminis, propter fidem vivam erga Deum, cui volebat uniri per Sacramentum.

Potest etiam probari conclusio, ex forma Baptismi, tam Græca, quam Latina, & ex verbis Christi Matthæi ultimo, *Baptizantur enim, nec non ex natura ipsius Baptismi: Baptismus enim est Sacramentum regenerationis, juxta illud Christi Joannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c.* Ergo sicut nemo seipsum generare potest, ita nec seipsum baptizare.

Dico secundò, plures simul ab uno baptizari posse. Ita Divus Thomas hic articulo 6. ad 2. ubi sic ait: *In casu necessitatis unus potest plures baptizare, sub hac forma, Ego vos baptizo, putà si immineret ruina aut gladius, vel aliquid huiusmodi quod omnino moram non poneretur, ut scilicet omnes baptizarentur. Nec per hoc diversificaretur forma Ecclesie, quia pluraliter dicitur Matthæi ultimo Baptizantur enim &c.* Quibus verbis S. Doctor conclusio nem nostram & docuit & probavit. Possit